

Cum mihi, si vel maxime voluissem, integrum non esset, translationem meam progressionem quadam ita attemperare captui puerorum, ut difficiliora facilioribus succederent, clavis loco, quae orationis sententiarumque secreta recluderet, uberiores verborum dictionumque interpretationem adjeci, qua juvante tirones, rudimentis grammaticis perceptis, Robinsonium adire, formularum dicendi, orationi intextarum, sensus penetrare easque tandem in succum, quod ajunt, sanguinemque vertere non dubitent. Quod autem transferenti non licuit, id feci translationis interpres, ut tum vocabulorum phrasiumque explicandarum delectu, tum grammaticae expositionis modo et mensura, itemque omissione et silentio meo, profectum gradus sequerer, per quos tironum intelligentiam sensim pedetentimque provehari consentaneum est. Quo tandem consilio syntaxis latinae principia simul exemplis in ipsa oratione mea propositis expresserim, simul praecipiendo disserendoque in animadversionibus subjectis exposuerim, pe-